



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas I. An Justitia sit vere Virtus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

TRACTATUS I.

De his, quæ magis speculativè noscenda
in præsentì.

*Magister Sententiarum nihil tractat, in speciali, de Virtute Iustitiæ; ple-
ne autem S. Thomas 2. 2. à. q. 57. ad 79. Imò, & sequentibus, si includas
partes potentiales Iustitiæ. Eum sequendo, sit.*

DISPUTATIO I.

De Essentia Iustitiæ.

Omnis essentia, in quan-
tū definibilis est, habet ra-
tionem compositi: quia im-
portat genus tanquam partem
materiam, & differentiam,
tanquam partem formalem. Hinc, ut cogno-
scatur essentia, prænosendum est illius Genus
& Differentia; quod etiam in præsentì facie-
mus.

QUÆSTIO I.

Quid pro Genere dicit Iustitia?

Indubie, Iustitia pro Genere dicit, quod sit
Virtus, & cum non sit Virtus Intellectus: ne-
mo enim ex eo iustus est proximè, quia scit bo-
nam esse Iustitiam; vel, quid sit esse iustum.
hinc debet esse Iustitia Virtus moralis adeoq;
Virtus voluntatis. Quia verò Virtus Iustitiæ,
ex Communi sensu, requirit auctoritatem, de-
bet esse Virtus moralis ad alterum; quæ omnia,
licet indubitata sint, more tamen scholastico
illustrari possunt. Ex quibus etiam inferes, agi
hic de Iustitia, non prout dicit complexionem
omnium virtutum, de qua Christus Matth. 5.
Nec sumitur pro gratia, quæ est Iustitia nostra,
eo quod nos iustificet: sed sumitur pro una ex
Cardinalibus Virtutibus.

DIFFICULTAS I.

An Iustitia sit Verè Virtus?

Sapius in Theologia sit Virtutis mentio,
Sicut enim tamen à Nobis non est ejus expo-
sita universaliter Natura, aliis difficultatibus,
tempus præcipientibus. *Nunc sit*

Punctum Difficultatis 1.

Quid Virtus in Genere?

Agemus hic, de Virtute generalissimè, hoc
est, prout est, quid Commune ad virtute-
tes, etiam phycas, quæ etiam herbis compe-
tunt, & ad virtutes Intellectuales, Morales &c.
sic sumptæ Virtutis.

PRIMA DEFINITIO est. *Quod, Virtus sit
Principium motus vel actionis.* Ita docet S. Th.
1. 2. q. 26. à 2. ad 1. & q. 41. a 1. ad 1. & sic pern-
citas, quæ est virtus avis, est principium celeris
motus.

Hæc definitio etiam habitibus peccaminosis
convenit: nam etiam hi sunt, principium actio-
nis, possuntque, licet improprie, appellari Vir-
tus, sumpta pro vi. Sicut venenum, dicitur esse
virtus occidendi, vel vis. Restrungendo autem
magis naturam Virtutis, addit ibid. S. Thomas
q. 55. a. 1. *Quod, Virtus sit perfectio potentie in ordi-
ne ad actum;* quæ definitio, videtur non esse u-
niversalis: quia non convenit ipsis potentiis,
quæ etiam sunt virtus: & tamen dici non pote-
runt perfectio potentie, sed potius ipsa poten-
tia in suo genere perfecta. Si quis tamen, per ly
Potentie; intelligeret perfectionem subiecti,
prædicta definitio etiam potentiis quadraret,
quæ sunt perfectiones subiecti.

Pressius autem definiendo Virtutem ex utra-
que hac phrasi S. Thomæ posset Virtus, ut sic,
definiri, quod sit *Principium perfectivum subje-
cti, in ordine ad actum.* Hanc definitionem pro-
bat ipsa inductio, quæ ostendet illam, quibus-
cunque cogitabilibus virtutibus applicari posse,
solis, & semper.

* A 4

Quod

R. P.
TH. MŁOD-
ZIAŁOWSKI
Tom 3. et 4.
D. VI
6

Quod ipsum, insistendo phrasi S. Thomæ, tali discursu proponi potest. Virtus per Arist. est, *Species quadam habitus*; si est species habitus, debet esse, quid permanens, difficile mobile: quia verò hoc, quod est difficile mobile, potest convenire etiam iis, quæ virtuti, quæ tali, opponuntur, v. g. vitiis; fit, ut illa qualitas, debeat esse perfectio potentia, sed defectus ejusdem. Desumitur hoc, ex Arist. qui Lib. 7. Ph. t. 14. tractans de habitibus, tractat etiam de virtute, & insuper hæc habet. *Virtus enim perfectio quadam est, unumquodque enim tunc maxime perfectum est, cum adeptum est propriam virtutem, & maxime secundum naturam, ut circulus, tunc maxime secundum naturam est, cum maxime circulus est. Vitium autem corruptio horum & remotio est.* Ubi docet Arist. Vitium non esse perfectionem potentia. Quia verò perfectio uniuscujusque, spectatur in ordine ad suum finem, & ita, cum conjungimur nostro fini, qui est Deus, dicimur esse perfecti; perfectusque architectus est, qui finem suum, qui est ædificatio domus, secundum regulas artis, obtinet. Idem etiam & Virtus, quæ est perfectio potentia, tunc perfecta consideratur; quando consideratur in ordine ad suum finem. Porro, finis potentia, per ordinem ad quem consideratur ejus perfectio, est actus; hinc, quod perfectior est actus, eò supponitur major virtus; & sic: quia portatio centum, perfectior est, præ portatione decem, idem & virtus portativa centum, est major præ virtute portativa decem. Quod si perfectio virtutis, est per ordinem ad actum; fit, ut virtus sit perfectio potentia in ordine ad actum. Quod explicandum, secundum phrasas S. Thomæ, fuit.

INFER, Si Virtus est perfectio potentia in ordine ad actum, etiam ipse actus, erit perfectio ut quo, adeoque rationem formalem virtutis, participare poterit.

SECUNDA DEFINITIO ex Arist. verbis, est, qui l. 1. Phys. t. 16. docet: *Virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum.*

De hac Definitione, sic discurre potest. Dispositio omnis, ex hoc ipso, quia dispositio est, debet esse ad alterum, nempe ad id, quod disponit; & si non esset ad alterum, hoc ipso dispositio non esset: non enim disponderet, sed adferret jam possessionem ejus, quod intenditur. Et, sicut Forma substantialis, qui non ordinatur ad aliud, dispositio non est; secus calor, qui disponit ad formam substantialem: ita & omnes reliquæ dispositiones incompletionem important, desideriumque ulterioris completionis. Hocque ibi expressit Arist. *Virtutes, inquit, & Vitium, sunt ad aliquid.* Quod si, omnis dispositio, est ad aliud, etiam Virtus, quæ dispositio est, per Arist. erit ad aliud.

Quia verò ipsa ratio, disponens per sui conjunctionem meram cum subiecto, quod dispo-

nit, facit illud, vel bonum, vel malum: Debet enim tribuere subiecto, cui inest, effectum suum formalem; cumque Virtute nemo malus reddatur, sequitur, ut Virtus, sit dispositio perfecti, seu perfectiva subiecti, perfectum non inveniens, sed faciens. Propter quod etiam appellatur à S. Thom. hic q. 71. a. 2. in Corpore: *Dispositio quadam alicujus convenienter se habentis, secundum modum suæ naturæ*; quod scilicet accessus virtutis, faciat subiectum convenienter se habere. Et quia, nihil convenit alicui, quod ei contra naturam est, fit, ut faciat virtus convenienter se habens subiectum, idque secundum modum suæ naturæ.

Jam verò, illud, convenienter se habere subiectum secundum modum suæ naturæ, cum non stet in sola dispositione perfecti, ut dictum est; videndum est, ad quidnam disponat illud perfectum? & hoc Arist. dicit esse, Optimum: Dicit enim, *quod, Virtus sit dispositio perfecti ad optimum.*

De quo ipso, Optimo, quæritur, quid sit? explicandoque, quid sit, istud Optimum, attingenda est.

TERTIA DEFINITIO Virtutis, ex S. Thomæ; nempe quod *Virtus sit ultimum potentia.* Quo principio utitur l. 2. q. 55. a. 1. ad 1. & a. 3. in Corpore & aliis locis. Ad quod enodandum.

SUPPONO 1. Doctrinam Arist. L. 1. de Cælo tex. 116. qui ponit, hæc verba: *Si igitur aliquis potest movere per stadia 100. aut levare pondus, semper ad plurimum dicimus, quasi diceret. Si detur aliquis habens tantum roboris, ut & conficere 100. stadia, & simul possit portare talenta 100. conficiendo stadia nonnisi centum, non facit hoc, quod plurimum potest, sed ad plurimum suæ potentia, scil. extendi potest; quia plurimum tum primum facit, cum utrumque facit.* Subdit Arist. *quamvis & partes, quæ infra sunt, possit, si & excessum, tanquam oporteat desiniri potentiam ad finem excessus,* quasi dicat, qui potest minus, si possit adhuc plus, nondum per illud minus, potentia illius exceditur, neque venit ad finem, sed, ultra quod excedatur, jam potentia. Concluditque tex. 117. *Nihil autem, inquit, nos turbet, determinetur enim secundum excessus finem, id quod propriè posse dicitur.* quasi dicat: posito quod v. g. non possit aliquis portare ducenta, possit tamen portare 100. non finitur excessus per 60. sed nonnisi 100. quod 100. terminat excessum, tanquam terminus Aquæ; ita, ut incipiendo à post 100. jam sit excessus. Centumque est simul finis potentia: quia quod est finis, complectitur omne illud, quod potest potentia, adeoque est ultimum potentia.

SUPPONO 2. ex S. Thom. Quodnam sit istud ultimum potentia? quod ultimum, dicitur Virtus. Explicat id l. 2. q. 55. a. 1. ad 1. dicitque quod, quando virtus dicitur esse ultimum po-

ten-

potentia, virtus sumatur pro eo, ad quod est virtus. Quod ipsum, per eundem dupliciter accipitur: pro ipso, scilicet, obiecto virtutis; ad obiectum enim est virtus, & pro actu virtutis. Quare autem obiectum & actus sunt ultimum potentia? hæc ratio assignari potest: quia sicut meta jaculatoria, est ultimum jaciendi, metam enim intendit; ita & attingentia obiecti, est ultimum potentia: potentia enim intendit obiectum. Et sicut, ultimum est, ultra quod nihil extenditur: sicut item finis est, quo possessio, cessat motus: ita, & obiectum est id, cuius habitus attingentia perfectâ, nihil ultra querit habitus, nec se ultra extendit. Actus etiam est ultimum potentia: quia omne ultimum præsupponit ante se alia, sique illa non præsupponeret, non esset ultimum, sed unum; & insuper, post se non supponit aliud: quia aliàs esset potius primum, vel intermedium, hocque ipso ultimum non esset. Porro, quando habetur unio ipsius virtutis animi cum potentia, non dum habet virtus ultimum sui; cum prius sit unire sese subiecto posterius illud disponere, sequitur, ut illud uniri virtuti, non sit ultimum ejusdem: disponere etiam non est ultimum virtutis, ut dictum supra: quia autem ultra actum non potest potentia; actus, erit ultimum potentia. Finge enim oculum non posse ulterius videre; sed omnes visiones eliciuisse, jam habet ultimum suæ oculationis, estque perinde inutilis videndo, atque digitus auricularis.

SUPPONO 3. Quod ultimum potentia, & optimum potentia, sint idem: si enim ultimum potentia, non esset optimum, esset illi conveniens progressus ulterior, nempe ad perveniendum ad optimum: Optimum etiam debet esse ultimum: quia, si non esset ultimum, esset ulterior progressus in comparatione boni ultra superlativum. Quod insuper in hoc resolvitur: quia definitivè, Optimum est ultimum boni.

His suppositis

Textitur discursus. Virtus unione sui ad subiectum, faciendo illud perfectum, disponit illud ulterius: nempe ad ultimum potentia: h. e. complectens omne illud, quod potest subiectum cum illa potentia, ut dictum Suppos. 1. Hoc ipsum ultimum potentia, licet sit, & obiectum, est etiam & actus, ut dictum supposito secundo. Si actus est ultimum potentia, & subiecti informati illa virtute, sequitur, ut actus sit etiam Optimum potentia, ut dictum Supposito 3. Hoc autem explicandum fuit.

DEFINITIONE sumpta ex 7. Phys. non est contentus Vasq. l. 2. d. 7. 9. n. 4. & d. 84. num. 16, Cum quo

DICES 1. Arist. illic loqui, de robore & pulchritudine, non de definitione virtutis: nominèq; Optimi, intelligit ibidem Naturam.

RESPONDETUR. Loqui, illic Arist. de vir-

tute; pro exemplo autem non nisi, ponit robur: quia & hoc, est species virtutis, &, ad aliquid. Verba textus: *Virtus autem omnis & vitium eorum, quæ ad aliquid sunt*, quod exemplificans addit, *similiter autem* (en, particulam exemplificativam) *pulchritudo & robur*. Negatur item, per Ly optimum intelligere illic Aristotelem, naturam. Vel intelligit naturam eo modo, quo illam accipit S. Thom. definiendo virtutem per, *convenienter se habere secundum naturam*.

DICES 2. Unius una est definitio: hic autem tres definitiones posita.

RESPONDETUR. Esse tres hic definitiones diversas, quoad phrasim, non autem quoad formalitates explicativas: Omnes enim in hoc conveniunt, quod virtus sit principium perfectivum subiecti, in ordine ad actum.

DICES 3. Dantur virtutes potentia seu materia, cui non competit habere actum. Ergo per ordinem ad actum, non definienda virtus. Rursus, illa definitio videtur competere naturæ, adeoque, non soli virtuti.

RESPONDETUR. Materia non competere habere actum, qui sit motus efficientis, sed competit illi habere actum, qui sit exercitium potentia. Hic autem, Ly, actus; sumitur pro aliquo communi horum membrorum. Natura etiam non potest dici perfectio subiecti ipsiusmet præsuppositiva, cum sit potius ipsum subiectum. Jam autem virtus, præsupponit subiectum.

Talis ergo erit Categoria virtutis. Virtus, ut sic, sic sumpta, in quantum coincidit, cum vi, vel facultate; & sic trahi potest ad vitia, abusive & antiphrastice: licet enim omnis virtus sit vis; non tamen omnis vis, sine abusu & antiphrasi, dici potest virtus; consequenter, sumitur tunc virtus, ita latè ad abusivas illas locutiones, sicut sumitur ens commune ad entia, & non entia, seu negationes. Postea sequitur, virtus pressè sumpta, supra definita, quæ, in quæ membra dividatur, ostendit.

Punctum Difficultatis 2.

Quæ Divisio Virtutis ut sic?

Dividitur virtus, in virtutem materia, & in virtutem formæ. Prior illa, est virtus, per S. Thom. ad esse, posterior, ad agere. Ratio hujus divisionis ex S. Th. 1. 2. q. 55. a. 2. in corpore ex habitis. Virtus importat quandam perfectionem potentia: &, cum duplex sit potentia; potentia ad esse, tenebit se ex parte materia, quæ est ens in potentia: potentia autem agere, se tenet ex parte formæ, quæ est principium agendi, eo, quod unumquodque agat, in quantum est in actu. Nomine virtutis materia, potest

est

est venire emanativitas quantitatis, & aliarum perfectionum.

Virtutes Formæ, possunt dividi in virtutes Physicas: & in virtutes intentionales. Priores illæ, sunt perfectiones formæ, in ordine ad actum Physicum. Posteriores sunt perfectiones, in ordine ad actum Intellectus, & Voluntatis.

Hinc Virtutes Intentionales dividuntur in Intellectuales & Morales; illæ perficiunt Intellectum, hæ voluntatem. Virtutes intellectuales, præter divisionem in Naturales & Supernaturales, dividuntur in Speculativas, & Practicas. Speculativæ sunt, Intellectus, Sapientia, Scientia. Practicæ autem sunt, Prudentia & Ars, quamvis etiam Prudentia soleat numerari, inter virtutes voluntatis reductivè & finaliter, seu, ut loquitur S. Thom. ibid. q. 58. a. 3. ad 1. *Licet prudentia, secundum essentiam suam sit intellectualis virtus: secundum tamen materiam, convenit cum moralibus virtutibus: est enim recta ratio agibilium.*

RATIO. Divisionis harum virtutum intellectualium, deducitur ex S. Thom. 1. 2. q. 56. a. 2. in (.). Cum, ut sic, virtus, sit perfectio potentie in ordine ad actum, etiam virtus intellectus illud erit, quod est perfectio intellectivæ, in ordine ad actum. Quia verò intellectus est, qui versatur circa verum; hinc, quod erit perfectio intellectivæ in ordine ad verum, erit perfectio intellectivæ in ordine ad actum illius. Verum autem ipsum, dupliciter considerari potest, in quantum est per se ipsum notum, & in quantum notum, per aliud. Virtus versans circa verum, per se ipsum notum, est intellectus, seu habitus primorum principiorum. Vel ob hanc proportionem: quia sicut omnes actus intellectus, pendent elicitive ab intellectu; ita omnes Conclusiones à primis principiis, tanquam motivis illuminativis, & unde fit deductio. Si autem, sit Verum notum per aliud, notificatio illa erit notificatio per causam, h. e. per principium influens in illam notitiam motive, quod ipsum esse notum per aliud, tanquam, per causam, dupliciter adhuc fieri potest, vel, per causam altissimam, & hoc erit Sapientia; vel, per causam, quæ sit quidem ultima, sed nonnisi in aliquo genere, & hoc erit, Scientia. Quia autem intellectus, non tantum sistit in speculatione veri, sed etiam se extendit ad praxim, indigebit complente se perfectione ad actus etiam practicos. Cumque ad praxim descendatur, vel faciendum, vel agendo, de quorum distinctione alibi, ad faciendum, dirigit quidem ars, quæ definitivè per S. Th. 1. 2. q. 57. a. 3. *est Ratio recta aliorum operum faciendorum: & Prudentia insuper erit necessaria, quæ definitivè est, recta ratio agibilium.*

Quod attinet ad Virtutes voluntatis perfectivas voluntatis, in ordine ad actum moralem: eas alia phrasi describit Arist. 2. Eth. cap. 2. *Vir-*

tus est habitus electivus in mediocritate, quantum ad nos, consistens. Et, hinc oritur divisio virtutis, spectantis medium rei, & medium rationis, de quo aliàs.

Sed jam, sub finem est necesse, totius quaternarii numeri virtutum moralium, rationem reddere. Quia habet S. Thom. 1. 2. q. 61. a. 2. in Corpore: quam placet ipsis terminis S. Thom. ponere: *Numerus aliquorum accipi potest, aut secundum principia formalia, aut secundum subiecta, & utroq; modo inveniuntur quatuor virtutes Cardinales. Principium enim formale virtutis, de qua nunc loquimur, est rationis bonum, quod quidem dupliciter potest considerari. Vno modo, secundum quod in ipsa consideratione rationis consistit, & sic, erit una virtus principalis, quæ dicitur, Prudentia. Alio modo, secundum quod circa aliquid ponitur rationis ordo, & hoc, vel circa operationes; & sic est Iustitia, vel circa passiones. & sic necesse est esse duas virtutes: ordinem enim rationis necesse est ponere circa passiones considerata repugnantia ipsarum ad rationem, quæ quidem potest esse dupliciter. Vno modo, secundum quod passio impellit ad aliquid contrarium rationi, & sic est necesse, quod passio reprimatur, & ab hoc denominatur, Temperantia. Alio modo, secundum quod passio retrahit ab eo, quod ratio dicitur: sicut timor periculorum vel laborum, & sic necesse est, quod homo firmetur in eo quod est rationis, ne recedat, & ab hoc denominatur Fortitudo, & similiter secundum subiecta idem numerus invenitur. Quadruplex enim invenitur subiectum huius virtutis, de qua nunc loquimur scilicet, rationale per essentiam, quod prudentia perficit, & rationale per participationem, quod dividitur in tria; id est, in voluntatem, quæ est subiectum Iustitiæ; & in concupiscibilem, quæ est subiectum Temperantiæ, & in irascibilem, quæ est subiectum Fortitudinis.*

Præter autem has Divisiones Virtutis, sunt aliæ, sed minus necessariae: in virtutem veram, & virtutem fictam. *Jam sit*

Punctum Difficultatis 3.

Proponitur, & probatur Conclusio.

DICENDUM est 1. *Iustitiam esse Virtutem.*
PROBATUR 1. Auc. Arist. qui 5. Eth. c. 1. sic ait: *Atque hoc quidem Iustitia virtus perfecta est, non absoluto tamen, sed ad alterum. Quo termino, non negat Iustitiam esse virtutem, simpliciter: sed dicit, esse virtutem, quæ non sistit in solo ordine ad subiectum suum, ejusque dispositione bona, sed respicit alium. Unde inferius subdit: Ac perfecta quidem maxime est: quia perfecta est virtutis usus perfecta autem: quia, qui eam habet non solum secum, sed cum altero etiam, virtute, uti potest.* Idem docet S. Thom. 2. 2. q. 58. a. 4.

PROBATUR 2. Ratione S. Thom. Quod facit humanas operationes bonas & rectas, est Virtus: ut colligere est ex definitione Virtutis; sed Iustitia facit humanas operationes bonas & rectas.

rectas. Quod ipsum probatur, tam quoad Majorem quam, quoad Minorem. Quod reddit actum attingentē regulam rationis, secundum quam actus humani rectificantur; est virtus. Sed Justitia est talis: dicitur enim ratio suum cuique tribuendum &c. similia, quæ omnia spectant ad Justitiam.

PROBATUR 3. Vera est hæc universalis. Omnis perfectio subjecti in ordine ad actum, est virtus: est enim definitio, quæ convenit omni. Ergo vera & hæc, particularis. Aliqua perfectio subjecti, in ordine ad actum, est virtus. Sed Justitia, est aliqua perfectio subjecti in ordine ad actum. Ergo est virtus. Subsumpt. Antec. probatur Perfectio subjecti, in ordine ad actum, qui est ad alterum, reddit unicuique quod suum est. Subsumo. Sed Justitia est redditiva unicuique quod suum est. Ergo Justitia est perfectio subjecti in ordine ad actum, qui est ad alterum. Prima propositio, probatur. Si illa non esset vera, deberet ex regulis de Contradictoriis. Contradictoria illius esse vera, nempe, perfectio subjecti in ordine ad actum, qui est ad alterum, non reddit unicuique quod suum est: hoc autem dici non potest quia aliis furari esset bonum. Et sic ut conjunctio contradictoriorum in intellectu, est quid absonissimum: ita, & conjunctio eorundem in moralibus, est mala, secundum proportionem cum intellectu alibus. Si autem furtum esset bonum, esset talis conjunctio: nam haberet aliquis alienum, ut proprium, cum non sit proprium. Minor illa principalis, probatur, ipsa suppositione. Quæstionis: de taliter enim sumpta justitia loquimur, quæ sit redditiva unicuique quod suum est.

OBJICITUR 1. Nullus est virtuosus per necessitatem. Omnis Justus, est virtuosus per necessitatem. Ergo nullus Justus est virtuosus. Ergo, neque justitia faciens justum, erit virtus. Minor probatur: quia alienum v.g. reddere est necesse, punire item malos, est necesse, &c. similia.

RESPONDETUR. Necessitatem coactivam, quæ excludit lubentiam agentis, & in ordine ad meritum, libertatem destruere rationem virtutis, sed non necessitatem quam dicit hoc principium ad hos suos actus. Explicatur distinctio. Non omnis necessitas destruit rationem virtutis. Nam, cum aliquis exercet actum virtutis, necesse est, ut illum exerceat ex suppositione, & tamen tunc, vel maxime virtuosus est; debetque omnino dari aliqua virtus, quæ tamen necessitatur ad suos actus, v.g. liberalitas ad faciendas moderatas distributiones gratuito de proprio, & tamen, ut supponitur, hoc virtutis est. Quia autem necessitas, quæ habetur in virtute justitiæ, non adfert destructionem potentiæ proximæ ad utrumlibet non adfert coactionem &c. ideo hæc necessitas, nec destruet rationem Virtutis.

OBJICITUR 2. Quod non compatitur secum alias virtutes, non est virtus. Justitia non compatitur secum alias virtutes: quia restitutio bonorum, non compatitur secum virtutem paupertatis: nam vult esse habentem unde reddat, &c. similia.

RESPONSUM est ad similem objectionem in materia de Pœnitentiæ virtute. Quod omnes virtutes compatiuntur se, ratione sui; licet non compatiuntur se omnes ratione extremorum: h.e. cum utrumque extremum actione honesta exerceri potest. Unde virtus justitiæ & paupertatis, compatiuntur se ratione sui, sed non compatiuntur se ratione extremorum: nam hoc, quod est habere, & ex habito dare, est extremum, ad quod attendit justitia. Jam autem extremum ad quod attendit paupertas, est non habere (supple proprium) nec ex habito dare. An autem Religiosus teneatur ad restitutionem de acceptis in seculo? de hoc, in materiamorali.

OBJICITUR 3. Virtus non potest supponere peccatum: debet enim esse bona, si bona, ex integra causa, si ex integra causa, non debet supponere malum. Jam autem Justitia saltem restitutiva, supponit peccatum.

RESPONDETUR. Quod virtus supponere possit peccatum, tanquam abolendum, & destruendum: licet, non supponat peccatum tanquam aliquid à se intentum, sed de his fusiùs in materia de pœnit.

DICENDUM 2. *Justitiam esse virtutem moralem.*

PROBATUR 1. Virtus, quæ ponit actiones voluntatis honestas, ut notum est, ex definitione virtutis moralis, est, virtus moralis. Sed Justitia ponit actiones voluntatis honestas: quia ponit actionem voluntatis de servando Jure indemni aliis, ponendaque æqualitate, &c. nemo enim sola cognitione debiti reddendi, fit justus. Ergo.

CONFIRMATUR insuper. Virtus respiciens bonum, est virtus voluntatis. Unde etiam virtutes respicientes verum, dicuntur esse virtutes intellectus. Quod utrumque in hoc fundatur. Quia virtutes, sunt perfectio potentiarum: sed, non essent perfectio potentiarum, si virtutes respicientes bonum, non essent virtutes voluntatis, & respicientes verum, non essent virtutes intellectus.

Quod ipsum probatur. Illud non potest esse virtus, & perfectio alicujus potentiæ, quod illam non juvat habendo se circa suum objectum. Et, sicut non juvatur, oculus speciebus audibilibus, vel sono: quia hæc non juvant oculum ad habendum se recte circa suum objectum, ita nec virtus juvaret potentiam, nec esset ejus perfectio: nisi participaret de objecto illius potentiæ. Sed Justitia respicit bonum. Quod ipsum probatur. Quia speciem boni respicere, est respicere bonum. Quod ipsum probatur. Quia

ex una

ex una parte virtus potentiae, non debet habere potentiae rationali aequale objectum. Hinc, non nisi scientia, ut sic, vel potius aggregatum omnium scientiarum, & noticiarum respicit intelligibile, vel verum, ut sic, quod respicit potentia intellectiva, sed particulares scientiae, & speciales notitiae respiciunt certum verum. Quod si virtus potentiae, non respicit sub eadem universalitate objectum, sub qua respicit potentia, etiam virtus iustitiae non debet respicere bonum, sub ea universalitate, sub qua respicit ipsa voluntas: sed sufficit, quod respiciat speciem boni. Ex alia parte, quod, respicere speciem boni: sit respicere bonum, inde probatur: quia de illa specie boni, vera est praedicatio, quod sit bonum; aliàs non esset species boni. Ergo respicere speciem boni, est respicere bonum. Sed iustitia respicit speciem boni: quod probatur: quia respicit, ut infra probabitur, honestatem aequalitatis ad jus alienum. Ergo respicit speciem boni, est etiam honestum. Si autem respicit iustitia bonum, & est virtus voluntatis, erit virtus moralis; hæc enim hic pro eodem sumuntur.

PROBATUR 2. Virtutes, necessariae sunt ad perficiendas potentias animæ. Unde illud Ethicorum, de creaturis dictum: *Nemo naturā suā habet virtutes*. Experientiaque docet, virtutes agendo acquiri; deberemusque omnes esse aequales virtute, si illas cum natura haberemus. Neque enim defectus virtutum, posset rejici in dispositionem & organorum ineptitudinem: experimur enim similes complexionem, dissimiles virtute: & eandem complexionem olim bonam, ita depravari, ut deterrimam. Sed si iustitia non esset virtus voluntatis, non perficerentur potentiae animæ, quod ipsum probatur: Ponamus concupiscibilem & irascibilem, esse distinctos realiter appetitus (nam indistinctio non officit, ne multiplicentur habitus intellectus, utpote potentiae indistinctae ab anima) tunc voluntas ipsa rationalis non haberet suam perfectionem, nisi ponatur esse illius virtus iustitia. Assumptum probatur: quia actus hic, qui dicit, *volo reddere alienum*, non est actus irascibilis potentiae, quia hæc extenditur ad circumstantiam maliamovendi: Neque enim actus illius principium est potentia concupiscibilis: quia hæc ordinatur ad bonum delectabile acquirendum, quale non est objectum illius redditionis, per se loquendo. Ergo ille actus spectat ad voluntatem rationalem, secundum se spectatam. Ergo iustitia debet esse virtus voluntatis, quā talis, utpote perfectio ita dictantis voluntatis.

PROBATUR 3. citata Aug. S. Th. I. 2. q. 69. a. 2. & Arist. 5. Eth. c. 2. *Iustitia, ait, est quā iustus dicitur iusti, operator ex electione*. Certè autem electio voluntatis est.

OBJICITUR 1. Nemo potest esse iustus per actum voluntatis, nisi praevio dictamine de honestate aequalitatis. Ergo iustitia complectitur in se perfectionem illam dictandi, adeoque erit virtus, quā intellectus, quā voluntatis.

RESPONDETUR. Imprimis, Argumentum multum probare: probat enim, nullam esse virtutem, quā sit virtus, non nisi voluntatis, cum unaquaque requiratur praecognitum.

Directè autem. Concesso Anteced. Dist. Conf. Ergo iustitia complectitur in se vim illam dictandi, tanquam quid necessariò praerequisitum, applicansque objectum voluntati. Concedo Conseq. complectitur in se vim illam tanquam rationem suam, saltem partialiter formalem. Nego Conseq. Illa enim ratio saltem partialiter formalis, est alicujus virtutis, quā sola habitā, jam partialiter habetur virtus. Illo autem dictamine posito, nondum habetur partialiter ratio formalis iustitiae: Hæc enim non potest esse, quid commune injusto: cum tamen illa vis dictandi, etiam in injusto, quā tali, reperitur: si enim non haberet dictamen de honestate iustitiae, per actum humanum, non esset injustus.

OBJICITUR 2. ex Buridano, apud Valent. disp. 5. q. 2. §. 4. Passiones appetitus sensitivi impediunt, quominus exerceatur opus iustitiae, ut immoderata cupiditas pecuniarum, ira erga creditorem. Ergo, ut superet omnes difficultates, ponenda erit iustitia, etiam in appetitu sensitivo.

RESPONDET Valent. Quod, ad virtutem pertineat quidem, superare difficultates ortas ratione materiae, huic virtuti debite, sed non ratione materiae aliis virtutibus debite; aliàs, si ad unamquamque virtutem spectabit superare quascunque difficultates ratione materiae, non dabitur jam locus aliis virtutibus, nec jam dabitur virtus specialiter opponibilis avaritiae, quæ pecunias appetit, &c. similia.

RESPONDETUR 2. Dupliciter potest considerari, quod ponatur virtus iustitiae in potentia sensitiva. Primo, per modum occasionis imperandi iustitiam. Et taliter poni potest, etiam in appetitu sensitivo: Nam & passio sensitiva potest dare occasionem, ut imperetur formalis actus iustitiae vel injustitiae. Secundo, quoad ipsum formale exercitium v.g. iustitiae; sit in ipsa & ab ipsa potentia sensitiva: & sic, non potest poni iustitia in potentia sensitiva: quia actus iustitiae formalis, respicit objectum formale iustitiae; objectum autem formale iustitiae, excedit potentiam sensitivam: illa enim respicit coloratum, odorabile, tangibile, &c. Iustitia autem & honestas illius, nihil horum est. Quod si objectum formale iustitiae, potentia sensitiva attingere non potest, neque illius capax

erit.

DIFFI-